De novo si fiat investitura, nominatim & de certa re oportet fieri. Hæc investitura a muliere secundum quosdam non valet: quibusdam valere placet: quæ sententia mitior [1] est. A minore autem 18. annorum non valet: hoc etiam de minoribus ann. 25. asseritur, ut quibusdam placet. A prælatis Ecclesiarum vero tradi, & legitime dici potest jure, ut valeat investitura, dum tamen dissipator [2] videri non possit: quod si aliter intelligeretur, nullum beneficium ab ecclesiasticis personis datum retineri posset. Dicitur etiam quod si conjunctæ [3] personæ gratia, vel etiam alicui alteri tale dedit feudum, quod duos consimiles vasallos acquirere posset, inutile est beneficium.

TIT. XCII.
JUSTO [4] ERRORE EXCUSARI VASALLUM QUI FIDELITATEM NON FECIT.

Quicunque paratus est facere bene fidelitatem domino suo, prout pater fecerat fidelitatem patri vel antecessori domini, dum tamen hæc bona fide dicat, & non dolose, sed justo errore, omnino condemnari non potest. Cum enim controversia est inter ipsos, per antiquitatem feudi, vel per breve testatum, vel per testes domino incumbit probatio, alioquin per vasallum veritas inquiratur.

TIT. XCIII.
FACTUM FRATRIS [5] FRATRI IN FEUDO PATERNO NON NOCET.

Quoddam satis bene dispositum ad utilitatem, & ad perniciosam calliditatem destruendam, in scriptis inserere curavimus. Quidam [6] miles bina beneficia a duobus dominis, prout solitum est, acquisivit: qui decedens duos reliquit filios, qui paterna beneficia inter se dividentes, alter eorum suo domino pro beneficio quod ad eum venit fidelitatem nullo [7] antepositio, sicut pater fecerat, fecit. Alter vero frater alteri domino similiter pro suo beneficio, quia alium nullum dominum habere videbatur, nullo antepositio fidelitatem fecit: defuncto posteriore fratre sine filiis, utrumque feudum in unam, ut prius, venit personam; & sic dominus talem fidelitatem quærit, qualem frater ejus fecerat: quas altercationes amputantes dicimus, illud, quod frater fecit, nihil superstiti obesse: licet in secundam & tertiam generationem, & usque ad infinitum pervenerit.

TIT. XCIV.
DE FEUDO GUARDIÆ [8] ET GASTALDIÆ.

Quod nomine gastaldiæ vel guardiæ in feudum datur, ablata gastaldia vel guardia jure auferri [9] potest [10].

TIT. XCV.
DE SUCCESSIONE FEUDI.

Quidam dominus habens beneficium, reliquit duos filios: & unusquisque ipsorum habuit duos vel tres filios: unus illorum fratrum decessit, una tantum filia relicta: portionem illius non [11] ad omnes superstites, sed ad patruos [12] illius & suis posterioribus [13] pertinere dicimus.

TIT. XCVI.
DE INVESTITURA ALIENI BENEFICII.

Si quis acceperit investituram alterius beneficii, inutilis est hæc investitura: & qui sciens hoc agit, de evictione [14] agere non potest.

TIT. XCVII.
NON AMITTERE FEUDUM EUM QUI SINE DOLO CESSAVIT PER ANNUM IN PETENDA INVESTITURA.

Inter [15] dominum & vasallum nulla fraus [16] debet esse, & inde potest accipi, si vasallus non dolose steterit per annum [17] quærere investituram sui beneficii, non damnabitur. dolus [18] enim abest, si justa causa impediente steterit, vel etiam cum amore servitium fecerit domino conscio. Dicimus autem ut si contra [19] ea quæ in fidelitate nominantur fecerit, beneficio carebit.

TIT. XCVIII.
EX DELICTO VASALLI FEUDUM AD DOMINUM REDIRE.

Vasallus habens feudum deliquit contra dominum, cui judicatum est: agnati cum domino litigant, quidam domino dicunt pertinere: quidam agnato. Dicimus autem ad dominum non [20] pertinere, donec [21] aliquis masculus ex delinquenti vasallo supereſt, alii vero contradicunt.

TIT. XCIX.
DE FEUDO LIGIO.

Si quis investitus de feudo ligio, pro quo contra [22] omnes fidelitatem domino debet, Lucio & Titio ex se descendentibus filiis, sibi heredibus institutis, vita decesserit, divisione facta, si ad solum Titium feudum pervenerit, rationabiliter placuit eum solum fidelitatis sacramento esse obnoxium, ad quem solita feudi jura transierint. quod si ab alio domino Lucius postea feudum per investituram acquisierit, pro quo similiter ei contra omnes homines fidelitatem fecerit: decedente Titio sine liberis, ad quem devolvatur feudum, quod ex divisione habuerat, an ad alium fratrem an ad dominum quæri potest? & cum placeat [23] quem ligium hominem duorum esse non posse, videri potest feudum ad dominum pertinere. sed rectius visum est feudum, quod per investituram acquisierit, impedimento ei non esse, licereque ei per [24] substitutum acceptabilem domino priori servire.

TIT. C.
IMPERATOREM FEUDUM AMITTERE VEL ALIUM PRO SE FIDELEM DARE.

Ex facto incidisse scio Fridericum principem nostrum [25] cum ab initio Dux esset, & pro Ducatu fidelitatem faceret, divino nutu postea Imperatorem creatum, petita ab eo fidelitate pro ducatu, petenti domino respondisse, non teneri se fidelitatem facere, cum omne hominum genus sibi fidelitatem debeat, & ipse soli Deo & Romano Pontifici. Sed cum insistente feudi domino de hoc contenderetur, proceribus prudenter visum est, feudum amissum esse [26], vel alium [27] Ducem in Ducatu constituendum, qui feudo servire debeat, & domino fidelitatem faciat.

TIT. CI.
ECCLESIAM FIDELITATEM NON FACERE [28].

De negotio super quo nos consulere voluisti, tibi secundum jus curiæ & usum feudi breviter respondemus, quatenus pro feudo, quod ab aliquo per Ecclesiam detinetur, nulla sit facienda fidelitas [29].

TIT. CII.
NON COGI VASALLUM PRO UNO FEUDO DUAS FIDELITATES FACERE [30].

Insuper etiam te instructum esse volumus, quod si dominus a quo feudum tenebatur, diem suum pluribus heredibus relictis obierit: vasalli qui communiter illud tenent, non coguntur fidelitatem pro eo feudo facere, nisi domini illud feudum primo partirentur: quoniam secundum jus feudi non debet quis duas [31] fidelitates pro eodem feudo facere.

TIT. CIII.
FILIOS TANTUM SECUNDI MATRIMONII MATRI IN FEUDUM SUCCEDERE.

Mulier quæ feudum secundi viri contemplatione acquisierat, si ex utroque matrimonio superstitibus liberis decesserit, solos ex [32] secundo viro suscepitos filios ad feudi successionem admitti, usu curiarum obtentum est.

TIT. CIV.
CASUS QUIBUS FOEMINA IN FEUDO SUCCEDIT.

Si cui militi ad certum [33] servitium feudum fuerit datum, isque relicta ex se descendente fœmina, decesserit, quæ id servitium juxta feudi conditionem non minus decenter [34] præstare possit quam masculus, etsi in investitura minime cautum sit, ut & fœminæ ad id aspirare valeant, eam tamen admitti rectum putamus, quinimo hoc casu, simul cum masculo in feudo eam succedere quidam putant, quod multo magis dignum observantia existimamus, cum feudum sic datum est, ut nullum pro eo servitium fiat, ut pleraque hodie feuda dantur. §. 1. Item si quis eo tenore de feudo aliquo sit investitus, ut in eo succedant fœminæ sicut [35] masculi, sive feudum id ad certum fuerit datum servitium, sive pro eo indeterminate fuerit promissum servitium, investito moriente in feudum succedunt pariter & mares & fœminæ, quanquam enim superstite [36] masculo ex eo qui primus feudum adquisivit, fœminæ excludantur, & si in maribus & fœminis fuerat acquisitum (ut in feudis regulariter tradi solet) fermonem tamen investituræ, nec non vim verborum & sensum contrahentium intuentes, discretionem sexus in ejusmodi feudi successione non fecimus. §. 2. Jugales [37] a quodam milite simul [38] de eodem feudo investiti fuerant, ut in se descendentesque suos id haberent. Hi ex se filio & filia superstitibus defuncti sunt, inter quos feudi quæstio agitatur. masculus enim universum feudum sibi vindicat: fœmina vero ad parentum feudum pariter cum fratre vocari se defendit. quidam pro masculo, quidam pro fœmina pronuntiant. Eorum qui pro filia judicant, sententiam sequendam esse censeo, cum filia ex antedictorum jugalium contubernio supereſt, ex prædefuncta uxore alio suscepto masculo qui consanguineus ad eam frater sit. In cæteris [39] priorum sententia sane sequenda est: quod si sola ex eo matrimonio relicta filia, nullo ex eo vel alio connubio superstite masculo, ab hac luce subtracti fuerint, feudum scindi fert prudentum nostræ civitatis opinio, ut dimidiam quidem partem fœmina sibi acquirat, reliquam vero dominus aut ejus heres accipiat.

1 Ideo sequenda. 2 Prælatus res ecclesiæ infeudare potest, at non dissipare.
3 *Novell.* 120. *cap.* 5.
4 *tit.* 26. §. 7. *vers. vasallus.*
5 Vid. *tit.* 78. *supr. eod.* 6 *tit.* 52. §. 2. *supr. eod.* 7 Hoc feudi ligii proprium est. *tit.* 99. *infr. eod.*
8 1. *feud.* 2. & 4. §. 3. 9 Vid. *tit.* 81. 3. *eod.* 10 Nisi aliud convenerit. *tit.* 105. *infr. eod.*
11 *tit.* 50. *in fin. supr. eod.* 12 Ad fratres. *Cujac.* 13 Id est, posteris, *ut l.* 3. §. 3. *ff. de injusto.*
14 Evictionis non agit qui sciens alieni beneficii investituram accepit. *tit.* 80. *in fin. supr. eod.*
15 Dixi *tit.* 52. §. 3. *in fin. supr. eod.* 16 Dolus inter vasallum & dominum interdictus. 17 Et diem. 1. *feud.* 22. 18 Dolum excusat justa causa impedientes. 19 2. *feud.* 24. §. 2. *vers. sed non est.* 1. *feud.* 21.
20 Cujacius hanc negationem expungit. 21 *tit.* 78. 3. *eod.*
22 Feudi ligii proprium hoc est, ut qui feudum ligium a domino acceperit contra omnes ei fidelitatem debeat. *tit.* 52. §. 2. *tit.* 93. 3. *eod. e. passeratis de sent. & re judic.* ut ne quidem Imperator excipiatur, antiquiorve dominus. In jurejurando non homologi, excipitur. *tit.* 38. *in fin.* 3. *eod.* 23 Duorum homologus nemo esse potest, *ut hic:* non homologus, potest, *d. tit. in fin.* 24 Facit *tit.* 55. §. 1. *tit.* 100.
25 *Libri Feudorum compositi videntur sub Friderico Imp.* 26 Aliud in ecclesia, *tit.* 101. *infr.* 27 Vicarium scil. & substitutum. ut *tit.* 55. §. 1. *tit.* 99. *supr. eod.*
28 Id est, solutam esse juramento fidelitatis, & ita derogatur legi generaliter concepiæ, *tit.* 3. *in fin. supr. eod.* 29 Igitur major Ecclesiæ quam imperatoris autoritas. *tit.* 100. *infr.*
30 Quid si plures feudum adquisierint? omnes fidelitatem facere debent, *tit.* 26. §. 4. *vers. omnes.* 31 *tit.* 55. §. 1. *supr. eod. tit.* 77. *supr. eod.*
32. *titul.* 26. §. 4. *vers. mulier.*
33 *tit.* 51. §. 7. 34 Puta, ut conjetur domini uxorem. *tit.* 2. *in fin. supr. eod.*
35 1. *feud.* 1. §. 3. *tit.* 6. §. 1. *tit.* 8. & 2. *feud.* 26. §. 1. *vers. feudum ea lege.* Vi hujus pacti succedunt fœminæ cum masculis. 36 Fuit ea Gerardi sententia, de qua dixi 1. *feud.* 8. *in fin.* ab omnibus recepta. 37 Id est, conjuges. 38 Ut *tit.* 85. 3. *eod.* Hujusmodi feudum partim fœmineum, partim paternum: & ita mixtum.
39 Id est, quoties filia ex eodem matrimonio fratres habet.

TIT.

TIT. CV.
DE FEUDIS HABITATIONUM.

Feuda habitationum [1] nisi [2] aliud specialiter cautum sit, morte accipientium finiuntur [3].

TIT. CVI.
SERVOS POST DELATAM SUCCESSIONEM MANUMISSOS IN FEUDUM NON SUCCEDERE.

Quæsitum scio, dudumque apud prudentes fuisse causam hanc: si servi [4], quibus macula [5] servitutis obstaculo fuerat, libertate donati fuerint, an ad feudi successionem valeant adspirare? Denique post magnas varietates obtinuit sententia distinguentium, quo tempore libertatis donum assecuti fuerint: ut si quidem eo tempore [6], quo coheres alter, utpote his constitutis inhabilibus, aut dominus quasi ad se devolutum vindicasset, ab ejus successione sint penitus alieni, ne quod legitime factum est, supervenienti facto postea retractetur: qui si re integra manumissi fuerint, in feudum recte succedere queunt.

TIT. CVII.
UT VASALLI SUMPTIBUS DOMINI SERVITIA PRÆSTENT.

Antiquatum esse ipsis rerum experimentis, nos ipsi cognovimus, fideles, nisi [7] aliud contractibus pactiones insertæ desiderent, dominorum [8] sumptibus eisdem servitia ministrare. Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, quo tempore suum commodare reperiuntur obsequium, præsertim cum nec quisquam propriis cogatur impendiis militare, maxime cum extra [9] civitatis suæ tentoria servitiis exhibendis eos convenit fatigare.

TIT. CVIII.
VASALLUM FEUDUM POSSE IN ALIUM ARCTIORI LEGE TRANSFERRE.

Nulla juris constitutione aut consuetudinis, utusque longævi observantia prohiberi scisciitatus invenio, vasallum, arctiori [10], quam ipse habeat, lege, feudum in alium ubilibet posse transferre.

TIT. CIX.
CLERICATU FEUDUM AMITTI.

Et jure & moribus receptum est, vasallum clericali [11] se militiæ dedicantem feudum amittere. Scriptum est enim in divinis eloquiis: Miles Christi serviat Christo: milites seculi serviant seculo.

1 *tit.* 75. *supr. eod.* 2 *tit.* 44. *supr. eod.* 3 Et deserta habitatione. *d. tit.* 75.
4 An servus investiri possit, vid. *tit.* 3. §. 1. *vers. personam.* 5 Servitutis macula. 6 In feudis delatæ successionis tempus spectatur, facit *tit.* 30. *supr. eod.*
7 Conventio format contractum. *l.* 7. §. 5. §. 6. *ff. de pacts.* 8 Sumptu dominico servitium præstatur a vasallo. Vid. Ardizonem *de feud. cap.* 25. An & a liberto servitium eodem modo præstatur patroni sumptu? minime. vid. *l. sue vidtu.* 18. *ff. de oper. libert.* 9 Vid. Curtium 4. *parte* 1. *causa ver. tertia cadit.*
10 *tit.* 34. §. 2. *tit.* 48. 89. *in fin.*
11 *tit.* 21. *tit.* 26. §. 4. *vers. qui clericus. supr. eod.*

LIBER QUINTUS [1]

DE FEUDIS,

QUO

VARIÆ CONSTITUTIONES IMPERATORUM AD HANC PARTEM JURIS PERTINENTES CONTINENTUR.

TIT. I.
CONSTITUTIO CONRADI [2] DE BENEFICIIS.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: Conradus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris tam præsentibus quam futuris notum esse volumus, quod ad reconciliandos animos seniorum & militum, ut ad invicem semper inveniantur concordes, & ut fideliter nobis & suis senioribus serviant & devote, præcipimus & firmiter statuimus, ut nullus miles Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, Marchionum, vel Comitum, vel hominum qui beneficium de nostris publicis bonis, aut de Ecclesiarum prædiis nunc tenent aut tenuerint, aut hactenus injuste perdiderint, tam de nostris majoribus valvaforibus, quam eorum militibus sine [3] certa & convicta culpa suum beneficium perdat, nisi secundum consuetudinem antecessorum nostrorum & judicium parium suorum. Si contentio emerserit inter seniorem & militem, quamvis pares judicaverint, illum suo beneficio carere debere, & ille dixerit, hoc injuste, vel per odium factum esse, ipse suum beneficium teneat, donec senior & ille quem culpat, cum paribus ad nostram præsentiam veniant, & ibi causa juste determinetur. Senior vero & miles qui culpatur, qui ad nos venire debuerint, sex [4] hebdomadas antequam iter incipiat ei cum quo litigaverit innotescat. Hoc autem de majoribus valvaforibus observetur. De minoribus vero in regno nostro, aut ante seniores, aut ante missum [5] nostrum eorum causa finiatur. Præcipimus etiam, ut si aliquis miles sive de majoribus, sive de minoribus, de hoc seculo migraverit, filios ejus beneficium tenere, si vero filios non habuerit, & aviaticum [6] ex masculo filio reliquerit, pari modo beneficium habeat, servato usu majorum valvaforum in dandis [7] equis & armis suis senioribus. Si vero forte aviaticum ex filio non reliquerit, sed fratrem legitimum ex parte patris, & si seniorem offensum habuerit, sibi vult satisfacere [8] & miles ejus esse, beneficium quod patris fui fuit habeat. Insuper & omnibus modis prohibemus, ut nullus senior de beneficio suorum militum cambium [9] aut precarium aut libellum sine [10] eorum adsensu facere præsumat. Illis vero quæ tenet proprietario jure, aut per præcepto suo porrectum libellum, sive per precariam, nemo eum devestire audeat injuste. Fodrum [11] autem de castellis quod nostri antecessores habuerunt, habere volumus: illud vero quod non habuerunt, nullo modo exigimus. Si quis hanc justionem nostram infregerit, auri optimi libras C. componat, medietatem cameræ nostræ, & medietatem cui damnum illatum fuerit.

TIT. II.
CONSTITUTIO HENRICI DE CAUSIS AMITTENDI FEUDI.

Imperator Augustus Henricus secundus. De militum beneficiis quoniam dubias variasque causas in regno nostro esse cognovimus, ideo ad Reipublicæ statum quædam statuimus. Si [12] quis ergo dominum suum interfecerit, vel vulneraverit, ipsum dominum suamve dominam obsederit, vel cum cucurbitaverit [13], vel contra ea, quæ in fidelitate nominantur, fecerit, vel his supradictis consilium dederit, parium laudatione beneficium amittat. Si vero de supradictis se defendere voluerit, testibus a parte domini deficientibus, cum tribus paribus se expurget: si autem pares habere non potuerit, cum duodecim propinquioribus parentibus se defendat (usu vero curiali solus defendat). Si quis autem suorum parium idoneus tamen exinde se veritatem scire dixerit, & per pugnam eum fatigare voluerit, ut per [14] pugnam se defendat, edicimus. Si quis autem fuit, qui domino non servierit, parium laudatione beneficium amittat (curiali tamen usu id redimere potest pro medietate, quantum valuerit), sed si hoc defendere noluerit, duos vel unum saltem parem ostendat, & cum his se fervisse juret: & si pares paremve habere nequiverit, cum tribus vel duobus propinquioribus parentibus se intra annum [15] servisse juret: (usu tamen curiali solus jurare conceditur. Qualiter autem juret, an solus, aut cum aliis, nihil interest, dum tamen servitia nominet.) Si autem concorditer cum domino suo se habuerit dominum sæpe videndo, tunc dicimus ut probet per testes servitium fecisse, & per se non stetisse. Si autem aliqua inter dominum & vasallum discordia fuerit, vel si domicilia in longinquum habuerint, vasallus domino se repræsentando servitium promittat, & si necesse fuerit, hoc probet jurejurando, saltem ad finem controversiæ vasallo a paribus dato. Si quidem intra annum servierit, quod levissimum fuerit, & dominus aliud servitium imposuerit, quod vasallus neglexerit, unde damnum domino illatum fuerit usque ad fruges, feudatarius parium existimatione damnum resarciat. De aliis vero culpis unde beneficium non amittitur, parium laudatione defendat se, ut supra, vel emendat.

TIT. III.
ALIA CONSTITUTIO HENRICI DE VASALLO QUI UNUM EX DOMINIS REFUTAVIT.

Imperator Henricus: si contigerit feudum incuria, aut neglectu fidelis confortibus [16] applicari, nullum ex eo levamen detrusus excipiat, ne senioris sui contemptus illusus fiat, ob quem feudum jure dimiserat. Sane qui aliter fecerint, quam quod mens saluberrimæ nostræ constitutionis exposcit, beneficio se cartiuros esse cognoscant, ita ut eis amplius sperare non liceat, seniori danda licentia tam ab ipsis eorumque posteris, quam cæteris detentatoribus prædictum beneficium vindicandi.

1 Hoc libro continentur quædam Constitutiones Imperatoriæ compilatæ atque hic insertæ ab Hugolino. Cujac. *de feud. cap.* 2. *circa fin.* & Borchold. Anf.
2 1. *feud.* 1. §. 2. adde 2. *feud.* 34. 40. 3 1. *feud.* 21. 22. §. 2.
4 *d.* §. 2. 5 Vicarium. 6 Id est, nepotem ex filio. 1. *feud.* 1. §. 2.
7 2. *feud.* 12. 8 2. *feud.* 11. §. 1. *tit.* 55. §. 2. 9 De cambio adde
10 *feud.* 4. §. 2. 22. §. 1. *tit.* 25. 10 2. *feud.* 9. *in fin.* 44. §. 1.
11 Annonam militarem 5. Ammonius 3.
12 Causæ feudi amittendi. 13 1. *feud.* 5. *supr.* & 2. *feud.* 38. 57.
14 2. *feud.* 27. *in princ.* & §. 3. & *tit.* 39. §. 2. 15 Quod minimum est, *ut infr. eod.*
16 Id est, uni dominorum, *ut* 2. *feud.* 38.

TIT. IV.

ALIA CONSTITUTIO HENRICI EJUSDEM, UT INGRATITUDO VASALLI PROBETUR TESTIBUS QUINQUE.

Imp. HENRICUS Aug. univerſo populo.

SI [1] vaſallus inhoneſtis factis atque indecentibus machinationibus dominum ſuum offenderit &c.

TIT. V.

CONSTITUTIO LOTHARII DE FEUDIS NON ALIENANDIS.

LOTHARIUS divina favente clementia tertius Imperator Romanorum, pius, felix, inclytus ac triumphator ſemper Auguſtus univerſo populo.

IMperialis [2] benevolentiæ proprium eſſe judicamus, commoda ſubjectorum inveſtigare &c.

TIT. VI.

ALIA EJUSDEM LOTHARII CONSTITUTIO DE INVESTITURA NON PETITA INTRA ANNUM.

Imp. LOTHAR. Eugenio papæ, & univerſo populo.

QUoniam [3] inter dominum & vaſallum nulla fraus, nec ullum malum ingenium debet intervenire &c.

TIT. VII.

CONSTITUTIO FRIDERICI DE FEUDIS NON ALIENANDIS ET ALIIS CAPITULIS.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus univerſo populo.

IMperialem [4] decet ſolertiam ita Reipublicæ curam gerere, & ſubjectorum commoda inveſtigare &c.

TIT. VIII.

ALIA DE JURE FISCI.

Imp. FRIDERICUS.

REgalia [5] ſunt armanniæ, viæ publicæ, flumina navigabilia, & ex quibus ſunt navigabilia &c.

TIT. IX.

ALIA CONSTITUTIO EJUSDEM FRIDERICI DE PACE TENENDA.

FRidericus [6] Dei gratia Romanus Imperator, ſemper Auguſtus, Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, Marchionibus, & Rectoribus &c.

TIT. X.

ALIA CONSTITUTIO FRIDERICI IMPERATORIS DE INCENDIARIIS ET PACIS VIOLATORIBUS.

FRidericus Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus. Decet fidelitatis noſtræ tempora, generali populum provinciarum tranquillitati circumſpectionis noſtræ ſtudio provideri, ut dum in ſubjectis dominationis virtute pollemus, reprobos quoslibet ac ſceleroſos a ſubditorum injuriis arceamus æquitatis noſtræ correctione. Conſiderantes quippe quæ damna, quantæque deſolationes hominum & provinciarum, per ſeditiones & incendia provenerint, & quantos præterea futurorum timores reportent, ea quæ de conſcientia & conſilio principum, & aliorum fidelium noſtrorum, tam liberorum, quam miniſterialium, ad reprimendas incendiariorum inſolentias, imperialis noſtra ſanxit auctoritas, univerſalis imperii fidelibus nota fieri volumus, & ſicut in caſtro noſtro Nurimberg hæc ordinata & confirmata firmiter indicimus obſervanda. Primum igitur de incendiariis [7] demandamus generaliter, ut ſi liber homo, ingenuus, miniſterialis, vel cujuscumque conditionis fuerit, incendium commiſerit pro vuerra propria, pro amico, pro parente, vel cauſæ cujusquam alterius occaſione, de ſententia & judicio imperiali, proſcriptioni ſtatim ſubjectus habeatur. Hic excipiuntur, ſi qui forte manifeſta vuerra caſtra manifeſte capiunt: & ſi qua ibi fuburbia, aut ſtabula aliave tuguria præjacent, igne ſuccendunt. Excipiuntur & judices quos in malefactores pœnam juſtitia exigente exercere contingit. Quod ſi aliquis in Ducatu alicui incendium fecerit, ipſe proſcriptum pronuntiet, ac deinde juſtitiæ ſuæ auctoritate cum proſcribat. Idipſum faciant Marchiones, Palatini, Comites, Landgravii, & Comites alii, nec alicui eorum liceat talem abſolvere, niſi domino Imperatori.

Quicunque etiam incendiarium in domo ſua ſcienter receperit, & conſilium auxiliumve ei impenderit, damnum & injuriam paſſo pro facultate ſua reſtituat. Judici vero x. libras monetæ de illa diœceſi in qua commiſſum eſt, perſolvat, ac domino Imperatori pro voluntate & gratia ſua diſponat. Si quis autem ſuper hac culpa innocentiam ſuam probare vel oſtendere voluerit, cum duobus viris veracibus culpa in præſentia judicis ſe expurget.

Si quis autem cuiquam impoſuerit, quod incendiarium receperit, & de hoc ipſum jure voluerit convenire, hoc nequaquam ei fieri liceat, niſi præſtito primo calumniæ ſacramento. Dominus etiam Imperator proſcriptorum neminem a ſententia proſcriptionis abſolvat, niſi de illicitis primo damnis cum injuriato componat, & niſi conſciente judice hoc faciat.

Proſcriptum vero, quem pro incendio ſententiam proſcriptionis incurriſſe omnibus notum fuerit, diœceſianus Epiſcopus, ſi ad ſatisfactionem inobediens extiterit, a communione Eccleſiæ Dei & fidelium Chriſti abjiciat, & extraneum eum reddat, nec eum abſolvat, quoadusque læſo damnum reſtituat: & e converſo, quem Epiſcopus legitimis indulciis citatum juſtitia dictante excommunicaverit, & hoc judici inſinuaverit, judex eum banno proſcriptionis condemnet, & nec prius eum abſolvat, quam coram Epiſcopo de his pro quibus condemnatus eſt, ſatisfaciat. Quod ſi a proſcriptione illa prædicto modo fuerit abſolutus, & Epiſcopo ſuo voluerit obedire, incendium primo abjuret, deinde ſit in arbitrio Epiſcopi, qualem ei pœnam injungat, ad viſitandum ſepulchrum Domini, aut limina Jacobi Apoſtoli. Si autem proſcriptus eo, ut dictum eſt, modo abſolvi deſideraverit, domino Imperatori fines imperii per annum & diem abjuret. Si quis autem a proſcriptione & excommunicatione ſimiliter non fuerit abſolutus intra annum & diem, univerſo jure, honore, & legalitate privatus habeatur, ita ut ferendo teſtimonio, vel ad judicandum, de cætero nequaquam ſit admittendus. Omni quoque feudali jure carebit perpetuo.

Item ſi in reiſa [8] alicujus domini, cum ipſo domino cujus eſt reiſa, aliquis fuerit, qui incendium (ut ſæpius contingit) faciat, dominus ipſe, cujus eſt ipſa reiſa, jurabit ſuper reliquias, quod non fecerit conſcientia, vel mandato, vel voluntate ſua. Reum autem abjiciet a ſe & nunquam recipiet. Quod ſi illum poſt ſatisfactionem receperit, tenetur univerſum damnum quod ille commiſit, reſtituere.

Item ſi contingat dominum aliquem in villa aliqua hoſpitari violenter, & fortuito evenerit, domum aliquam incendi, & ille cui fit damnum, dominum impetierit, quod mandato ſuo, vel voluntate, vel conſcientia ſua factum ſit, damnum damnificato reſtituat.

Item ſi incendiarius captus fuerit, & coram judice negare voluerit incendium ſe commiſiſſe, ſi forte notorium non fuerit, per provinciam judex ſi poſſet eum ſuum ſeptem idoneis teſtibus convincere, capite plectatur. Sed ſi notorium fuerit, nullius requirendum eſt teſtimonium, ſed ſtatim decollandus. Item ſi Caſtellani cujusquam domini deſcendentes a caſtro domini ſui, incendium fecerint domino abſente a provincia, caſtrum domini propter hoc non erit comburendum, ſed bona incendiariorum, quæcunque extra caſtrum fuerint reperta, comburantur. Poſt reverſionem vero domini, ſi dominus incendiarium retinere voluerit, & a ſe non repulerit, caſtrum ejus ſimiliter erit comburendum. Item ſi proſcriptus propter incendium in aliquam domum confugerit, de qua non poſſit haberi, niſi domus incendatur, propter hoc incendium non erit quis incendiarius, ſed damnum pro incendio reſtituere debet. Item ſi incendiarius ſuper caſtrum aliquod agitatus confugerit, & dominus, cujus eſt caſtrum, fortaſſis dominus, vel vaſallus, vel conſanguineus fuerit, dominus ille non debet eum perſequentibus repræſentare, ſed juvabit eum a caſtro in ſylvam vel alias, ubi ſecurus ſibi videatur. Quod ſi nec dominus vel vaſallus, nec cognatus fuerit, perſequentibus eum ſtatim repræſentet, vel cum eo in eadem culpa ſit.

Statuimus etiam, & eodem firmiter edicto ſancimus, ut quicumque alii damnum facere, aut lædere ipſum intendat, tribus ad minus ante diebus per certum nuntium ſuum diffiduciet eum. Quod ſi læſus diffiduciatum ſe fuiſſe negare voluerit, nuncius idem ſi vivus eſt, juret quod contradixerit ei ex parte domini ſui, loco & tempore delignato. Si mortuus eſt nuncius, juret dominus junctis ſibi duobus viris veracibus, quod contradixerit ei, ne dolo mediante de fide violata quis valeat inculpari. His fancientes adjicimus, ut quicumque treugas alicui dederit, niſi ibi determinatum & exceptum fuerit, quo tenore ſervet vel non ſervet eas, contradicere eis ante terminum ſtatutum nequaquam poſſit. Quod ſi fecerit, ut violator fieri judicetur.

Item qui nuncium aliquem, pro eo quod contradictturus mittitur, læſerit, hidem ſuam violavit, & de cætero omni honore ſuo carebit, & in poſterum nullus ei contradicet. De filiis [9] quoque facerdotum, diaconorum, ruſticorum, ſtatuimus, ne cingulum militare aliquatenus aſſumant: & qui jam aſſumpſerunt, per judicem provinciæ a militia pellantur. Quod ſi dominus alicujus eorum eum in militia contra judicis interdictum retinere contenderit, dominus ipſe judici in x. libras condemnetur, ſervus autem omni jure militiæ privetur. Statuimus etiam, ut ſi quis vineas [10] aut pomaria exciderit, proſcriptioni & excommunicationi incendiariorum ſubjiciatur. Ut autem hæc tam utilis ordinatio omni tempore rata permaneat, & eo quo dicta eſt tenore inconvulſa conſiſtat, eam legibus prædeceſſorum noſtrorum Imperatorum atque regum juſſimus interſeri, & perpetuo jure ſervari. Cui ſi quis aulu temeritatis contraire præſumpſerit, Dei omnipotentis & noſtræ perpetuo indignationis ſit reus. Fiat, fiat. Actum Nurimberc in præſentia Principum, Conſilio, & conſenſu eorum. Anno incarnationis M. CLXXXVII. 3. Kal. Jan.

TIT. XI.

ALIA CONSTITUTIO EJUSDEM DE PACE COMPONENDA ET RETINENDA INTER SUBJECTOS, ET ALIIS CAPITULIS.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus univerſis ſubjectis ſuo imperio, Salutem.

HAc [11] edictali lege in perpetuum valitura jubemus, ut omnes noſtro ſubjecti imperio &c.

TIT. XII.

ALIA CONSTITUTIO EJUSDEM FRIDERICI DE PACE CONSTANTIÆ.

IN [12] nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus &c.

1 Vid. 2. *feud.* 57.
2 Vid. 2. *feud.* 52. *in princ.*
3 Vid. 2. *feud.* 52. §. 3.
4 Vid. 2. *feud.* 55.
5 Vid. 2. *feud.* 56.
6 Vid. 2. *feud.* 27.

7 De incendiariis. 8 Reiſa militaris excurſio, hinc Raiſogneldum, apud Aventinum, multa non reſpondentis ad delectum. 9 Filii facerdotum remoti a cingulo militari. 10 *l.* 2. *l.* 3. *ff. arborum furtim.* 63. *Eclog.* 16. *c.* 2. 6. Harmenop. 7.
11 Vid. 2. *feud.* 53.
12 Vid. *infr. tit.* 18.

TIT. XIII.

ALIA CONSTITUTIO FRIDERICI DE JURE ΠΡΟΤΙΜΗΣΕΩΣ [1].

SAncimus a modo in omni provincia & in omni civitate, ſi quis ex parentela [2] habeat communem agrum [3], domum, vel vineam, vel rem immobilem diviſam, vel indiviſam, aut ex communi emptione, vel aliquo hujusmodi titulo, vel alio modo aliquo conjunctim, & voluerit alienare ſupradictas res per venditionem, vel emphyteuſim [4] vel locationem, non ante liceat ei alienare, quam denuntiaverit illis quos vocavimus per ordinem in jus προτιμήσεως. In primis [5] vocentur parentes, qui ſunt conjuncti, poſt hos ſocii, poſt hos illi qui ſunt conjuncti, etiam ſi extranei ſint, poſt hos vocentur omnes qui ſunt ſub uno ſervitio, & qui ſunt conjuncti ex aliqua parte. Sin autem plures ſint in jure προτιμήσεως, omnibus denuntietur, ut intra [6] triginta dies ſolvendo juſtum [7] pretium line mora aut quantum quivis emptor ſine fraude dederit, unusquisque portionem ſuam accipiat. Verum ſi intra ſtatutum terminum juſtum pretium non ſolverit, de cætero non habebit jus προτιμήσεως, niſi ſi quis eorum erat in captivitate, vel deportatus, vel in exilium miſſus, vel abſens reipublicæ cauſa, aut ex propria ſua cauſa, vel minor viginti quinque annis: & licet iſti fuerint abſentes ex juſta cauſa, tamen tutores eorum, vel curatores, vel procuratores, vel defenſores intra quatuor menſes debent venire & ſolvere juſtum pretium cum legitimis uſuris [8] & expenſis neceſſariis, & accipere jus προτιμήσεως, & extraneos emptores omnimodo expellere, & ſi neglexerint hoc facere, farcient de propriis ſuis quidquid incommodi illi habuerint. Licet autem ſupra diximus omnes vocari ad jus προτιμήσεως, tamen ſi [9] probatum fuerit quod atroces injurias vel manus impias venditori vel ejus familiæ intulerint, vel ipſius ſubſtantiæ gravem jacturam moliti ſunt, vel contra ejus vitam niſi ſunt, omnes iſti nullo modo ſine voluntate venditoris ad jus προτιμήσεως veniunt. Ex [10] cauſa tamen dotis vel donationis propter nuptias vel ſimplicis donationis vel donationis cauſa mortis vel ex teſtamento, permutatione, transactione, & parentes & extranei omnes poſſunt alienare, niſi quis vendendo vel locando ei qui non habuit jus προτιμήσεως ſimulate donaverit vel legatum dederit. Ideoque illi qui habent jus προτιμήσεως, poſſunt exigere juramentum [11] a venditore & emptore, & poſt juramentum ſi probatum fuerit contra Conſtitutionem noſtram ſimulate hoc feciſſe venditorem & emptorem, rem & pretium [12] perdent, & fiſco applicabitur, fiſcus autem vendet rem illam illis qui habent jus προτιμήσεως. Sed ſi ante juramentum probatum fuerit hoc eos feciſſe, venditio erit irrita, & venditor cogetur [13] invitus vendere illis qui habent jus προτιμήσεως. Prohibemus autem potentiores [14] perſonas aliquid accipere pretextu adoptionis, vel donationis ſimplicis aut cauſa mortis, ex teſtamento, vel ex uſucapione, aut ſub prætextu defenſionis, niſi forte parentes fuerint. Potentiores [15] autem dicimus, qui non tantum per ſe, ſed etiam per propinquos poſſint inferre timorem alienatoribus, aut promiſſionem beneficii. Quod ſi aliquis ex potentioribus hoc præſumpſerit facere, ſit alienus ab illa re, & æſtimationem illius rei præſtet fiſco. Transcurſo tamen decennio [16] ſine denunciatione, nulla de cætero moveatur controverſia illis qui poſſident ex aliquo contractu vel ex donatione vel ex teſtamento, ab illis qui habent jus προτιμήσεως vel etiam fiſco.

TIT. XIV.

ALIA EJUSDEM DE JURE ΠΡΟΤΙΜΗΣΕΩΣ.

QUum omnibus hominibus qui legibus reguntur & moribus, præceptum eſſe conſtet, jus ſuum cuique tribuere [17], nec cuiquam jus ſuum detrahere, libertatis [18] procedente gratia qua naturaliter quod cuique facere libet, niſi quid vi aut jure prohibetur, eſt conceſſa facultas, res ſuas unicuique liberum eſſe aut propter [19] nuptias donationis, aut dotis, aut ſimplicis donationis, aut cujuslibet alienationis, aut ultimæ voluntatis diſpoſitionis cauſa ſive teſtamentario jure in alium transferre, non eſt ambigui juris. Sed quoniam & jure præcipitur, honeſte vivere, alterum non lædere, ne hi qui cognatione vel communione, vel aliquo propinquitatis modo eorum qui vendunt urbanis ruſticisve prædiis adhærendo ab his qui intromiſcentur, lædantur, vel aliter ipſa venditione impediantur, jure προτιμήσεως præferri ſancimus &c.

1 Paucis de jure προτιμήσεως (cujus originem ad jus divinum quidam referunt. *Lev.* 25.) dicendum. Jure Romano, ſi teſtator vetuiſſet fundum alienari extra familiam, fundo in exterum alienato, proximiori agnato fideicommiſſi petitio competebat. *l.* 32. §. *ult. ff. de leg.* 2. fundo ulteriori agnato vendito, non competebat. *arg. l.* 114. §. 15. 16. *ff. de legat.* 1. *l.* 32. *in fin. l.* 67. §. 1. *ff. de leg.* 2. *l.* 14. *ff. ad l. Falcidiam.* Apud eosdem, etiam proximis conſortibusque conceſſum erat, extraneos ab emptione removere, quod licet poſtea vetitum. *l.* 14. *C. de contr. empt. l.* 16. *ff. de reb. auctor. jud.* reducta tamen eſt, generaliter videlicet atque paterni feudi retractu, proximioribus agnatis conceſſo, *ut hic, & 2. feud.* 26. §. 5. *verſ. Tertius.* jure civili dominus præfertur extraneo in emendis meliorationibus colloni. *l.* 2. *l. de jure emphyteuticario.* jure conſuetudinario apud quasdam gentes allodialium fundorum & cealibus obnoxiorum retractus proximis permiſſus eſt, his concurrentibus. Qui retrahit ſibi ac in uſum ſuum, non alteri, intra tempus retractui definitum, expenſas. *l.* 30. *ff. de minor.* juſtumque pretium emptori offerre debet. *arg.* 2. *feud.* 3. §. 1. *l.* 3. §. 4. *ff. de act. empt.* aut id quod apparet, deponere, ac de eo, quod obſcurius erit fatisdationem offerre. *l.* 5. *l.* 34. §. 1. *ff. de ſtatuliber.* Goth. Vid. in hanc conſtit. Matth. de Afflict. *tr. de jure retrahend.* Ant.

2 Id eſt, cognatione, aut agnatione potius.

3 In rebus mobilibus, jus retractus locum non habet.

4 In quibus contractibus jus retractus locum habeat, *ut hic*: in quibus non habeat *verſ. ex cauſa infr. eod.*

5 Qui potiores in jure retractus ſint.

6 Intra quod tempus jus retractus competat, *ut hic*: adde & aliud tempus 4. menſium *l. eod. tit. infra quatuor menſes.*

7 De justo pretio emptori a retrahente offerendo.

8 De uſuris & expenſis neceſſariis, a retrahente emptori offerendis.

9 Qui ex agnatis removeantur a jure προτιμήσεως, ſive retractus.

10 In quibus contractibus jus προτιμήσεως locum non habet.

11 De juramento ab emptore ſimulato præſtando.

12 Poena committentis in jus retractus.

13 Invitus interdum quis vendere cogitur.

14 In fraudem cognatorum non licet feudum alienare in potentiores perſonas.

15 Potentiores perſonæ quæ dicantur.

16 Quo tempore emptores præſcribunt adverſus proximiores venditores agnatos.

17 *l.* 10. §. 1. *ff. de juſtitia & jure.*

18 §. 1. *Inſtit. de jure perſon.*

19 *tit.* 13. *ſupr. eod.*

20 Vid. 3. Harmenopul. 3.

TIT. XV.

ΝΕΑΡΑ ΡΟΜΑΝΟΥ ΤΟΥ ΓΕΡΟΝΤΟΣ, ΠΕΡΙ ΕΚΠΟΙΗΣΕΩΣ ΚΤΗΜΑΤΩΝ ΚΑΙ ΠΡΟΤΙΜΗΣΕΩΣ ΣΥΓΓΕΝΩΝ, ΚΑΙ ΚΟΙΝΩΝ, ΚΑΙ ΑΝΑΜΙΜΙΓΜΕΝΩΝ ΚΑΙ ΣΥΜΠΑΡΑΚΕΙΜΕΝΩΝ ΟΜΟΤΙΜΩΝ, ΚΑΙ ΣΥΝΑΠΤΩΣ ΚΤΗΜΑΣΙΝ ΚΑΙ ΤΩΝ ΙΟΜΙΩΝ ΟΜΟΤΙΜΩΝ ΧΩΡΙΩΝ, ΚΑΙ ΑΓΡΟΣΙΩΝ, ΚΑΙ ΚΩΛΥΜΑΤΩΝ, ΟΥΣΙΩΝ ΠΡΟΣΩΚΩΝ, ΚΑΙ ΕΚΠΟΙΗΣΕΩΣ ΤΕΜΑΧΙΣΤΙΚΩΝ ΚΤΗΣΕΩΝ.

Παλαιὸς νόμος ἐστὶν, ἵνα μηδεὶς &c. 20

Vocantur hac conſtitutione in jus προτιμήσεως cognati primum conſortes, veluti fratres, qui paterna prædia pro diviſo aut pro indiviſo poſſident, hi ſunt qui dicuntur οἱ ἀναμὶξ συγγενεῖς συγγενεῖς, auctoribus Græcis interpretibus, qui & inde adnotant recte [illegible] extraneos præferri cognatis non conſortibus. Poſt cognatos conſortes vocantur ſocii, deinde qui rem communem habent citra ſocietatem, ſive ſint cognati ſive exteri, tum ſi qui communi cenſus vinculo tenentur, licet non eodem loco cenſum exſolvant, poſtremo vicini & confines. Hi teſtato denuntiandi ſunt antequam venditio fiat extraneo. Denunciatis datur menſis, procuratoribus eorum menſes quatuor, non denunciatis decennium, dominis ἐμφυτευτῶν & feudorum longe alia tempora, *l. ultima Cod. de jure emphyt. & ſupra* 2. *titul.* 9. & ii qui præſentes venditioni adfuerunt, & tacuerunt, ut interpretes Græci adnotant rectiſſime, nec venditioni conſenſiſſe, nec pro denunciatis habentur, *l. Titia.* §. *Lucia. ff. de leg.* 2. *l. Gajus. ff. de pign. act.* Conſenſu amittitur jus προτιμήσεως & præſcriptione temporis, & ingratitudine ſive indignitate. Datur etiam hac Novell. jus προτιμήσεως convicanis, ſecundum *l.* 1. *C. non lic. habit. metr.* Eſt & aliud hac Novell. caput de locupletionibus & potentioribus, ut ne quid ex bonis tenuiorum adquirant ὑπὸ τινὸς χωρίου ἢ ἀγροῦ, ἢ οὗ ἂν ἔχωσιν ἴδια κτήματα, ut explicatius enarrant interpretes. non igitur niſi ἀνεκοινώτως, aut ἀλλεσιαπῶς jure, & ad definitionem potentiorum, Novell. Conſtantini Porphyrogennetæ περὶ δυνατῶν τῶν εἰσιόντων εἰς κτῆσιν πένητων declarat nihil intereſſe potentior ſit qui emerit, an is qui potentiori domeſticus ſive προσοικειωμένος fuerit, Fridericus male propinquus. Igitur ne potentiores quidem derogare poſſunt juri προτιμήσεως, quinimo ſeverius cum his agitur. nam neque donationis aut teſtamenti aut transactionis aut patrocinii aut adoptionis jure ad bona tenuiorum pervenire poſſunt. Sed eadem & hos quæ ſuperiores tuetur præſcriptio decennii.

Poſtremum caput vetat alienationem prædiorum militarium: quod omnino pertinet ad feuda, & conſentit etiam cum Friderici & Lotharii Conſtitutionibus, ne milites per inopiam muneribus militaribus reddantur inhabiles, publicove depereat cenſus qui eo nomine dependi ſolet. qua de re vitum etiam eſt proponere Novellam Conſtantini Porphyrogennetæ.

TIT. XVI.

ΝΕΑΡΑ ΚΟΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΠΟΡΦΥΡΟΓΕΝΝΗΤΟΥ ΠΕΡΙ ΣΤΡΑΤΙΩΤΩΝ.

ΩΣΠΕΡ σώματι κεφαλὴ &c.

Ut Lotharii & Friderici Conſtitutione feuda nullo modo poſſunt a militibus alienari, ita nec ea prædia militaria quæ relata ſunt in Codices militares ex hac Conſtitutione, quæ feudis comparamus. Cetera autem quæ Codicibus militaribus abſunt, poſſunt alienari usque ad certum modum, puta ſecundum ejus diſtinctionem, ſi modo retineat ſibi tantum ex iis miles quantum conficiendis quatuor vel duabus libris auri ſufficiat, ne ſcilicet omnino redactus ad inopiam, & militiæ reddatur inutilis, quæ eſt etiam ratio Conſtitutionum Lotharii & Friderici. Sed hoc diſtabant illa prædia militaria a feudis, quod illa a nemine recognoſcebant, quippe cum eorum eſſent milites pleno jure domini, & conſequenter quod alienatione aliis non aperirentur, ſed illis ipſis reſtituerentur. Cæterum ut Fridericus nullam cenſet emptori præſcriptionem temporis opitulari poſſe, quominus venditio reſcindatur, ita nec Conſtantinus, niſi 40. annorum, quaſi ſcilicet omnis qui ea prædia emerit in eo pro malæ fidei poſſeſſore habeatur, *l.* 7. *C. de agr. & cenſ.* licet in fructuum & ejus quod intereſt ratione diſtinguat inter bonæ & malæ fidei emptorem, ſicut Fridericus in prætii repetitione. Et præterea longi tantum temporis præſcriptionem excludere Fridericus voluit. Militibus hac ſive novella ſive edicto Conſtantinus adnumerat cauſarios, & quid juris ſit ſi prædia miles a milite emerit, definit, & alia quædam.

FEUDORUM FINIS.